Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1035

Quelle:
Copyright:

regiminis neceſſarium et ad remouendum malum ſciſmatis opportunum. En loquentem Pontificem. *Proinde licet ſedeas ad pedes domini cum Maria circa unum neceſſarium meditante, Marthe tamen erga plurima ſatagentis non debes miniſterium aſpernari* &c. et poſt multa in hunc ſenſum: *Hoc autem fili kariſſime tibi proponimus, ut electionem eccleſie memorate canonice de te factam deuote recipias* &c. et iterum: *Illam tibi excuſationem non credimus admittendam, quod ideo nolis de monachatu ad pontificatum tranſire, quia non uis de quiete regredi ad laborem.* &c. En audientem Virum religioſum, nec alium, quam *Gerardum Seſſium Regienſ.* e Coenobio B. V. M. de *Tileto*, ſeu *Tilieto* Ord. Ciſt. jam a. 1120. in Dioec. *Aquenſi* Ditionis *Mediolan.* fundato ad Inſulas *Novarienſes* a. 1210. dicto *Innocentio* ſedente evocatum. Epiſtola ſatis prolixa.

Fol. 86. *Epiſtola* 88. *Archiepiſcopo.* Init: *Cum hij qui oraturi cum domino ihesu chriſto aſcenderunt in montem, ab eccleſiarum prelatis ſint benignius confouendi, ne ſancto ipſorum contemplationis otio a belial filijs perturbato de ipſo monte deſcendere cogantur in vallem et pedes, quos lauarunt, inquinare, fraternitatem tuam monemus et exhortamur in domino per apoſtolicam tibi ſententiam iniungentes, quatenus eccleſias, quas abbas et Canonici de tali loco qui cum maria ſedere ad pedes chriſti dicuntur, ut audiant uerba eius, in tua dioceſi obtinere dignoſcuntur, cum pertinentijs ſuis propenſius habeas commendatas* &c. Brevis et generalis Formula.

Fol. 90. *Colonienſi electo. Epiſtola* 92. Non alteri, quam *Theodorico* electo ſub exitum anni 1208. *Bruno* enim *bone memorie predeceſſor* per decurſum vocatur. Initium eſt: *In archa federis cum tabulis teſtamenti uirga continebatur et manna, ut in pectore ſummi pontificis cum diuine legis notitia ſit rigor diſtrictionis et dulcedo etiam pietatis. Cum igitur adulfus quondam colonienſis Archiepiſcopus ſuis exigentibus meritis ſit uirgam diſtrictionis eius expertus, conuenit ut et manna dulcedinis eius guſtet.* &c. Non admittit *Innocentius* compoſitionem inter hunc *Adolfum* et *Brunonem* initam; vult tamen, ut *Theodoricus Adolfo de bonis colonien. Eccleſiae ad ſuſtentationem ipſius congruam prouiſionem* aſſignet, quod ſi concordare nequiverint, arbitros ſtatuit Epiſcopum et Praepoſitum majorem *Paderborn.* et Abbatem (Coenobium non exprimitur) cum Capellanis *Monaſterienſ.* Dioec. Multa ſunt de Turbis hiſce *Colonienſis* Eccleſiae, de quibus conſulenda *Gallia Chriſt.* T. III. *col.* 683 — 87. in vaſta *Epiſtolarum Innocentii* III. Collectione, quam *Tomis* II. adornavit *Steph. Baluzius Pariſ.* 1682. f. ſed *tria* hic a me relata Monumenta fugerunt, ut puto, Virum ſolertiſſimum, dicam et *quartum*, nempe *Formulam relaxandi Interdictum* ſuperius a me exhibitam, quae e phraſi pariter ad illum vere magnum Pontificem pertinere videtur,